



# INNOCENTIVS PP. XII.



D futuram rei memoriam. Emanavit  
nupèr à Congregatione Venerabi-  
lium Fratrum nostrorum S.R.E. Car-  
dinalium, Concilij Tridentini Inter-  
pretum, Decretum tenoris, qui se-  
quitur, videlicet: Cæsaraugustana Iu-  
risdictionis. Ecclesiam B. Mariæ del  
Pilar in sæcularem statum redactam,  
ac Ecclesiam S. Salvatoris etiam sæcularem perpetuò vni-  
tas, & incorporatas, & hoc modo constituentes vnam Ec-  
clesiam Cathedralem Metropolitanam Cæsaraugustanam  
nuncupatam vigore Brevis san. mem. Clementis X. vnà  
cum novo Capitulo, & Capitularibus personis, Capellis,  
alijsque connexis, & dependentibus, modernus Archiepis-  
copus, pro adimplemento sui Pastoralis Officij, visitare cu-  
piens, impeditus fuit à Capitulo cum inhibitione Rotali,  
super observatione Exemptionis ab ipso Capitulo præten-  
sa. Quamobrem humilitè petente Archiepiscopo sibi à  
san. mem. Alexandro VIII. concedi remissionem Causæ  
huiusmodi ad hanc Sacram Congregationem, sua Sancti-  
tas illam concessit cum Voto Rotæ, quo (prævijs duabus  
Decisionibus) prolato, ac in Sacra Congregatione exhibi-  
to, sequentis tenoris: Rota, per rationes deductas in su-  
pradicis Decisionibus, est in Voto, posse Rever. Archiepis-  
copum visitare Ecclesias S. Salvatoris, & B. Mariæ del Pilar,  
Cathedralem Metropolitanam Cæsaraugustanam nuncu-  
patam, eiusque novum Capitulum, & in dictis Ecclesijs, &  
contra idem Capitulum, omnimodam Ordinariam Iuris-  
dictionem exercere, & respectivè procedere iuxta formam  
Sacri Concilij Tridentini sess. 25. cap. 6. de reformat. non ob-  
stante prætensa allegata exemptione. Idem Archiepisco-  
pus, Procuratore Capituli citato, supplicat ab Eminentissi-  
mis PP. causam iuxta prædictum Sacrae Rotæ Votum,

expe-

expediri, expresse decernendo, ei Visitationem, & omnimodam Ordinariam Iurisdictionem competere. Die 23. Augusti 1692. Sacra Congregatio Eminētissimorum S.R.E. Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, ad quam SS.D.N. Causam, vt supra, remisit, perpensis iuribus, utrumque deductis, ac attento etiam præinserto Voto Rotæ, censuit Archiepiscopum visitare posse, aliaque peragere iuxta formam eiusdem Voti. G. Cardinalis Mariscottus pro Præfect. Locus † Sigilli. Cum autem sicut Venerabilis Frater modernus Archiepiscopus Cæsaraugustanus, Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum huiusmodi, quò firmius subsistat Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiti, summopere desideret. Nos ipsum Archiepiscopum, specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis Sententijs, Censuris, & poenis à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latitis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censemtes, supplicationibus eius nomine, Nobis super hoc, humilitè porrectis, inclinati, Decretum præsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiçimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium. Decernentes, ipsas præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabilitè observari; sicque in præmissis per quo scumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his, à quo quam quavis auctoritate, scientè, vel ignorantè, contigerit attendari. Quo circa Venerabilibus Fratribus Oscen. Tironen. & Albarracinen. Episcopis per præsentes commitimus,

timus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eo-  
rum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, & in eis  
contenta quaecumque, ubi, & quando opus fuerit, & quo-  
ties pro parte dicti Archiepiscopi, seu aliorum interesse in  
praemissis habentium desuper fuerint requisiti, solemniter  
publicantes, illique in praemissis efficacis defensionis præsi-  
dio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras,  
& in eis contenta huiusmodi ab illis, ad quos spectat, & spe-  
cabit in futurum, inviolabilitè, & inconcusè observari,  
omnesque, & singulos, quos ipse praesentes litteræ concer-  
nunt, praemissorum omnium, & singulorum commodo, &  
effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos,  
desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet in-  
debitè molestari, perturbari, vel inquietari, contradicto-  
res quoslibet, & rebelles per Censuras, & poenas Ecclesi-  
sticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, applica-  
tione postposita, compescendo, legitimisque super his ha-  
bentibus servatis Processibus, Censuras, & poenas ipsas,  
etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc  
(si opus fuerit) auxilio brachij Sæcularis, non obstantibus  
praemissis, ac foel. recor. Bonifacij Papæ VIII. predecessoris  
nostrj, de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, du-  
modò ultrà tres dietas, aliquis, auctoritate praesentium in  
iudicium non trahatur, alijsque Constitutionibus, & Ordi-  
nationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, quibusvis,  
etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis fir-  
mitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privile-  
gijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium  
praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & in-  
novatis, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præ-  
sentibus pro plenè, & sufficientè expressis, & ad verbum  
insertis habentes, illis alijs in suo robore permansuris, ad  
praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, &  
expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.  
Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo  
Piscatoris, die xxx. Augusti M.DC.CXII. Pontificatus no-  
stri anno secundo.

I.F.Card.Albanus.

www.apabi.com